Pecherzyński Stanisław: Conclusiones ex universa Philosophia Aristotelis speculativa.

✠

A. D. O. M. H. C.

CONCLUSIONES

EX

VNIVERSA PHILOSOPHIA ARISTOTELIS SPECVLATIVA,

ad Mentem D. THOMÆ Doctoris Angelici, in Alma Vniversitate Cracoviensi,

CONCINNATÆ:





SUB PRÆSIDENTIA

M. ALBERTI TOPINSKI,

in Collegio Majori Regij, & Cursûs Philo-Philosophici Vladislaviani Professoris, Canonici Sanctæ ANNÆ,

Per

STANISLAUM PECHERZYNSKI,

Artium Liberalium & Philosophiæ Baccalaureum,

Publico Certamini,

EXPOSITÆ.

Anno Domini 1695. Die 30. Octobris. Horis Pomeridianis.

CRACOVIÆ, TYPIS VNIVERSITATIS.

In Gentilitium Inſigne, Illuſtriſsimæ Domus STRASZEWSCIANÆ.



Læta ſolet meritò magnos celebrare Triumphos
Patria, STRASZEVII quando Trophæa videt.
Namque ſub hoc LABARO truculentos Lechia vicit
Hoſtes, VIRBOVII quando fuêre Duces.
Extenſum ſpectas VEXILLVM? concipe mente,
Semper STRASZEVII bella parare ſolent.

LVDOVICVS de Kurdwanow KVRDWANOWSKI,
Poëſeos Studioſus

ILLVSTRI ac MAGNIFICO DOMINO,

D. CHRISTOPHORO, DE STRASZOW STRASZEWSKI,

Domino & Patrono Obseruandissimo.



Loriosa sine ferro & cæde peracturus certamina Iagellonicus Stagirites, nunquam cum certiori spe victoriæ potuit in arenam descendere, quàm sub victorioso Gentilitij Tui Vexilli *trophæo.* ILLUSTRIS & MAGNIFICE DOMINE. *Quidni enim sub* Virbouiano *palmari signo infallibiles sibi Iagellonici Peripati Sparta ominari debeat victorias? quod armatura fortium Cruce Christi munitum, immortales nedum Sarmatico, sed toti Christiano Orbi attulerit triumphos. Quid hoc* Laboro *victoriosius? quid Augustius? quid Patriæ felicius? quid hostibus terribilius? cuius virtutem non tantùm robur & æs triplex aduersi Martis, verùm etiam ipse Phlegeton formidauit: ad cuius præsentiam Tauricani prædones totis artubus tremebant. Sub hoc Augusto* Vexillo *non trecentos Fabios, sed innumeros suos defensores vidit Patria, & amplissimis honoribus coronauit. Regno coæuum hoc* Labarum, *inuictos semper non contra vnam Numantiam exhibuit Scipiones. Non inuidemus Romanis Vexilla Aquilis insignita, sub quibus felix fuerat victoriarum omen, sub quibus tributariæ gentes Romam adorabant, & vectigalia deferebant Tybri; cum & Sarmatiæ Regnatrix Auis, in* Virbouianis Vexillis, *semper triumphale fuerit signum, & auspicium felicitatis. Non miramur pictos Leones apud veteris, nouiq; æui Ductores in Labaris tumidè ostentatos, cum Sanctiori Ioui consecratum* Vexillum RADWAN, *non nomine tantùm, sed re probatæ fortitudinis Martijs laboribus Poloniæ demonstrauerit Leonidas. Sub hoc signo per tot seculorum myriades, longo syllabo militantes recenset in vtraq; militia triumphis celebrandos Bellona Sarmatica Heroes. Non pellem Leonis, sed animum induti prodière in campum, & aciem pro Patria inuictissimi Alcidæ. Nempe hoc Vestræ gloriæ familiare ornamentum, hoc innatum & à sanguine Maiorum traductum virtutis priuilegium est,* Magni Virbouianæ Familiæ *Scipiadæ, quòd ad ingentia quæq; nati, nihil non augustum & stupendum in* Vexillo Vestro *ad perpetuam rei memoriam omnibus ætatibus exhibeatis. Hoc est augustum & ingens nulla quod rapit dies meritorum Vestrorum auctoramentum, quod hactenus Patrij & Exotici Soles admirantur & venerantur. Neq; ego hic Fastos gestorum Vestrorum triumphales, & Iliadem ingentium Meritorum ad nucleum reuoco, cum magnitudo rerum, quam gessistis, nec in Iouis Diphtera describi valeat, sed tributaria duntaxat veneratione assurgo magnis Nominibus præcelsæ* Virbouianæ Familiæ, *& Martes Poloniæ, Romanoq; augustius omnium virtutum Pantheon à limine veneror. Extinctum Iacuingorum nomen, quomodo illustrat gloriosum* Vexillum *hoc, quomodo Moschouiticus infestus nostris Trionibus Eques sub eo militantes Epaminondas inuitus prædicet, publica fama gestorum nuntia Regum, & totius Reipublicæ claris oraculis ad stuporem posteritatis loquitur. Stant ex hac Familia, velut ex Equo Troiano oriundi in triumphalibus curribus Æmiliani. Præsentantur dignæ cælesti Capitolio Heroum imagines. Adhuc Primatialis Gnesnensis Sedes, suos omium elogiorum Apotheosi celebrat Archipræsules, quos illi* VIRBOUIANA FAMILIA *ministrauit. Adhuc Curules, & omnium honorum subsellia gratulantur sibi ex hac Prosapia, aurea consiliorum edicta depromentes Catones. Stant Magnorum Nominum vmbræ Illustres, & hostes in perniciem Poloniæ inhiantes terrent, dum perennans post funera virtus inuictissimorum ex* Sanguine Virbouiano *ductorum felicissimis victorijs hostium temeritati illatam cladem & excidium commemorat. Amplissimam omnium virtutum congeriem, vel in Te vno liceat admirari* MAGNIFICE DOMINE. *In quo concentrata Maiorum merita & probitatis vigor, oculos animosq; Polonorum in admirationem rapit. Non extinctus tot Antenatorum Tuorum, qui sub stemmate hoc triumphales duxere dies, Splendor: sed in immensum auctus, oculos Aquilæ Polonæ delectat. Masculus*

ille Gottardi *Spiritus, pro Patria vitam & sanguinem olim gloriosè litans, post celeberrimos Summis in Patria honoribus & victorijs Aborigenes, licet quidem in tot Familiarum sub hoc signo militantium decora diffusus sit, in Te tamen maxima eius portio, sedem sibi figens, hactenus infractos pro Patria ingentibus laboribus Anchisiadas progenerat. In* Vestra inclyta Domo magni STRASZEVII, *siue Numas, siue Catones, siue Camillos postulauerit Patria, semper vota eius coronastis, desideria impleuistis, quia factis ingentibus, Fastos Polonos hodie quoq; implere non cessatis. Longo syllabo recensere possem seriem meritorum Vestrorum, summam in Deum Diuosq; pietatem, omnibus imitandam fortitudinem, humanitatem, comitatem, quâ pares Macedonibus & Titis in Poloniæ Polo instar Syderum fulgetis: verùm ex sexcentis vnus, omne sibi elogium vendicat* JLLUSTRIS *olim &* MAGNIFICUS DOMINUS PETRUS STRASZEWSKI, *desideratissimus Parens Tuus. In hoc Viro, omnium virtutum senatus theatrum sibi gloriæ explicuit. Grandæuum Areopagitam dixisses, aut vnum de Colophonijs, cum oracula consiliorum funderet, cum omnibus ex asse sincerus amicum pectus exhiberet, & prona humanitatis studia testaretur. In eo integerrimos antiquioris æui mores, vsq; ad delicias Poloniæ spectauere soles. in eo animus ille optimâ politiâ imbutus, amicis communicabilis, beneuolus, & non sibi viuens, enitebat. Nulla illi Studiosior erat solicitudo, quàm desuper collata munera & opes, in Diuorum adyta profundere. Adhuc sacratiores Luboricensis Ecclesiæ Aræ, monumenta liberalitatis ab eo fundata, posteritati ad imitandum præsentant; nempe non aliter Vir pijssimus sub* Laboro *suo triumphali trophæa sibi erigere voluit, quàm cum Deo Statori se suaq; deuoueret. Porrò cum Astris deuota semper gerant pectora* STRASZEVII, *etiam castris bellicissimi Martigenæ & Bellonæ Sarmaticæ, nunquàm non grati extitère. Ingressus est triumphali passu immortalitatis Capitolium fortissimus Heros* ALBERTUS *Germanus Tuus, qui vt Patria staret, in medijs belli Othomanici æstibus, gloriosè occubuit. Vitæ interminabilis lucrum existimauit hic Sarmaticus Curtius pro Patria mori, pro Fide Orthodoxa seipsum ferre in victimam Libitinæ. Manebant Laureæ triumphales &* JOANNEM, *nisi Socij vitæ humanæ casus, & Parcæ eius gloriæ inuidæ, viam ipsi ad victorias præcoci obitu præclusissent. Sed quid ego manifesta orbi Polono* STRASZEUIANÆ *Virtutis Symbola, imbecilli suada illustro: Tu mihi omnium virtutum Epitome & compendium es, Tu apex & Corona meritorum, quæ in Tuis Antenatis spectabat orbis* JLLUSTRIS & MAGNIFICE DOMINE. *Magnanimitatis Tuæ documenta ipse Lydius fortium animorum lapis maximus, Bellatorum, Victorum & Triumphatorum Augustissimus Regum* JOANNES III. *Vidit ille, quomodo infestas hostium acies, Tua Virtus intrepidè aggressa, semper palmam reportauit. Nihil bellacissimo Spiritui Tuo dulcius, quàm per medios Barbarorum cuneos, victoriam quærere. Palmare* Vexillum Tuum, *sub inuictissimi Clypei, protectione ad omnem pro Patria defendenda occasionem, felicissimè eleuasti: Unde meritò* inclyto sanguini STRASZEUIO, *& virtutum Senatui magnarum Familiarum decora adiuncta sunt, post* Ascias Morsciorum, *quæ Architectæ felicitatis sunt; post* ROSARUM SZEMBECIARUM, *Augustam Purpuram; hodie Tibi felicissimè Suffragatur* DEMBINSCIORUM *Amazon, vt vbiq; Victor non solùm in armis, sed etiam in animis Polonorum existas. Ipsa* JLLUSTRIS & MAGNIFICA *Pulcheria Tua* CÆCILIA, DEMBINSCIANI *Sanguinis Gemma, quam vinculo amicitiæ coniugalis æternùm Tibi sociasti, vnitam gloriæ virtutem in* Vexillo *Tuo expressit. Atq; cum ex illa Lucina, Patriæ Heroas & Æneadas feliciter Poloniæ dederis, etiam magni Nominis & accrescentis summâ gloria auxesti* JOSEPHUM *Fratrem Tuum vterinum superùm obsequiò deuouisti: qui mirâ ingenij excellentiâ & modestiâ in Patrio Orbe fulgens, etiam Romanis Capitolijs* Labari *sui Gentilitij, palmare signum ingentibus meritis & virtutibus demonstrat. Quare Victor Philosophantium Princeps prodeat sub hoc signo in concertantium animorum Olympia, qui beneuolentiæ Tuæ stimulis, ad eruditum certamen prouocatus, coronamentum votorum se assecuturum minimè dubitat. Interim verò vt Te Superi quàm diutissimè sospitem & felicem seruent, amplissimis in Republica honoribus ornatum, omnibus benedictionibus cælitùs cumulatum, hoc profundi obsequij & animi mei votum pono.*

Vti Tuo Nomini & Honori Obæratus
Seruus & Cliens
STANISLAUS PECHERZYNSKI,
AA. LL. & Philosophiæ Baccalaureus.

CONCLUSIONES
EX
PHILOSOPHIA RATIONALI.

I.


Ogicæ obiectum Formale & adæquatum dictum *Quod*, est Ens rationis, non in tota latitudine, nec limitatum ad modos sciendi, sed vt est veri ostensiuum, seu Directiuum operationum Intellectûs, voces autem sunt tantùm obiectum materiale, obiectum verò *Quo*, seu ratio formalis sub *Qua*, est partim abstractio, ab omni materia negatiuè, partim principia Logicæ propria. Hinc est quod Logica sit purè scientia simpliciter Speculatiua, & secundùm quid seu impropriè, vt vtens, est Practica, estq; simpliciter necessaria ad alia scientias in statu perfecto acquirendas, imò & conseruandas. Ens porrò Rationis, quod consistit in quodam esse ficto, cum fundamento in re, & fit formaliter à solo humano Intellectu, idq; nonnisi pro hoc statu; non cognoscitur per propriam speciem impressam, ast per alienam s. Entis realis, benè tamen per expressam.

II.

PRæter Singularia & voces, dantur à parte rei Vniuersalia materialia in singularibus, non autem separatim existentia, quæ præter vnitatem numericam, habent à parte rei vnitatem Formalem, quæ non est Communis positiuè Indiuiduis, sed tantùm negatiuè. Gradus Metaphysicos in eodem subiecto existentes tantum solâ ratione ratiocinatâ differre asserimus. Porro vniuersale formaliter sumptum non est à parte rei, quod, si Metaphysicè sumatur fit per abstractionem Intellectus agentis, & perfectiùs per præcisionem Intellectus possibilis, Logicè verò acceptum fit per Intellectûs possibilis Comparationem simplicem, non verò compositam. Prædicabilitas est propria passio vniuersalis Logici, quod adæquatè diuiditur in Genus, Speciem, Differentiam, Proprium, & Accidens, estq; Genus ad illa.

III.

REctè definitur Genus à Porphyrio licet non essentialiter, per prædicari de pluribus specie differentibus in eò quod *Quid* est, cuius definitum particulâ *Quod* explicatum, est ipsa secunda Intentio, vt connotat naturam, quod idem in alijs prædicabilibus proportionaliter est intelligendum. Et hoc Metaphysicè sumptum, non prædicatur de speciebus vt pars, sed vt totum potentiale (idem proportionaliter intelligendum est de differentia) taliter etiam consideratum non potest saluari in vnica specie. Hoc in substantijs materialibus, à materia, sicut differentia sumitur à forma, puta radicaliter, nam proximè ambo sumuntur à tota natura specifica; in Immaterialibus verò seu spiritualibus substantijs s. Angelis, Genus sumitur à tota illorum essentia seu natura specifica, differentiâ verò sumitur ab eadem illorum essentia, secundum id quod sibi proprium est; tandem in accidentibus, Genus sumitur à simplicissima illorum essentia, vt determinabili, differentiâ autem ab eadem essentia, vt dicit ordinem ad extrinsecum subiectum à quo completur & causatur.

IV.

SPecies vt est vniuersale, rectè definitur per prædicari de pluribus solo numero differentibus in *Quid*, quæ definitio conuenit speciei specialissimæ, idq; solùm, vt est prædicabilis, in qua Relatio subijcibilitatis, est distincta à Relatione prædicabilitatis, quæ duæ Relationes non habent inter se ordinem passionis & essentiæ. Species Metaphysicè sumpta saluatur in vnico Indiuiduo, vnde natura Angeli vnum habens Indiuiduum, ex modo nostro concipiendi potest subire intentionem vniuersalis. Indiuiduum porro primò intentionaliter acceptum,

 defini-

definitur esse, cuius collectio proprietatum ita est in vno, vt nunquam fiat in alio, iam verò 2do intentionaliter consideratum definitur, esse id, quod de vno tantùm prædicatur, puta Identicè non formaliter, quæ definitiones conueniunt Indiuiduo determinato, non autem vago, quod est medium inter naturam vniuersalem & singularem.

V.

DIuisio differentiæ in Communem, Propriam & maximè propriam est recta, illaq; Analoga, cuius diuisionis tertium duntaxat membrum constituit hoc Prædicabile scilicet differentiam. Eius definitio, quæ est prædicari de pluribus specie differentibus in Quale *Quid*, benè intellecta, potest conuenire non solùm subalternis, sed etiam infimis differentijs; præter differentias subalternas dari vltimas cum suis speciebus conuertibiles certum est. Porro differentiæ superiores formaliter sumptæ, non includuntur in differentijs atomis, imò nec genera, vnde genera & superiores differentiæ prædicantur de differentijs infimis Identicè, quælibet verò differentia, siue superior siue inferior, includitur formaliter in sua specie quam constituit. In esse tertij prædicabilis, non constituitur per ordinem ad propria Indiuidua, nec per ordinem ad speciem quam constituit, ast per ordinem huius speciei, omnisq; differentia est nobilior ac perfectior suo genere.

VI.

EX 4. modis Proprij, solus 4tus, habet rationem 4ti Prædicabilis, constituiturq; in esse Vniuersalis per ordinem ad inferiora talis speciei. Accidentis Logici definitio hæc, quod potest adesse & abesse sine subiecti corruptione, secundo intentionaliter est intelligenda, solaq; aptitudinalis inhærent a est de essentia illius, constituiturq; in esse Vniuersalis per ordinem ad subiecta, quæ denominat.

VII.

PRæter æquivoca & vnivoca dantur Analoga media; in Attributionis & Proportionalitatis rectè divisa, & ab analogatis taliter sicut vnivoca abstrahi non possunt, Duæ diuisiones & totidem Regulæ antepraedicamentales conuenienter assignantur. Præter 10. Prædicamenta non possunt dari plura, quæ inter se sunt imperm sta, in hæc diuisum Ens significat Essentiam non existentiam.

i VIII.

SVbstantiæ (quæ est prior accidentibus tempore, definitione, & cognitione) Ratio formalis est esse per se, cuius diuisio in primam & 2dam, est subiecti in accidentia, ex proprietatibus verò 6. istis (non esse in subiecto, Dici de prima si sit 2da, primam significare hoc aliquid, 2dam verò quale quid, non habere contrarium, non suscipere magis & minus, & esse contrariorum susceptiuam) prima & vltima tantùm sunt quarto modo proprietates.

IX.

RAtio formalis Quantitatis consistit in extensione partium in ordine ad se, hinc substantia corporea ante Quantitatem nullas habet partes. Quantitas in continuam & discretam tanquam in species subalternas rectè diuiditur. Veræ species Quantitatis continuæ sunt linea, superficies & corpus, Locus verò motus, & tempus tantum reductiuè, Discretæ autem numerus est vera species oratio verò non item, nisi fortè sumatur ratione mensuræ, non ratione extensionis. Ex proprietatibus Quantitatis, quæ sunt non habere contrarium, non suscipere magis & minus, & secundùm Quantitatem res dicuntur æquales vel inæquales, sola tertia est 4to modo sumpta. Qualitas porro adæquatè tanquam genus in species, diuiditur in Habitum & Dispositionem, Naturalem potentiam & impotentiam, passionem & patibilem qualitatem tum formam & figuram, cuius diuisionis sola primi membri duo vocabula s. Habitus & dispositio duas essentialiter constituunt species, alia verò nonnisi accidentaliter. Ex proprietatibus Qualitatis quæ sunt habere contrarium, suscipere magis & minus & secundum Qualitatem res dicuntur similes vel dissimiles, sola vltima, est quarto modo proprij.

X.

AD hoc vt sit Relatio realis, requiritur subiectum reale, fundamentum reale treminus realis existens realiter, & distinctio realis fundamenti ac termini, Fun-

ni. Fundamenta Relationis realis sunt tria, hæc: vnitas & numerus, Actio & Passio, Mensura & Mensurabile, à quibus omnibus relatio distinguitur realiter. Porro vnitas Relationum specifica ab vnitate tam fundamenti quàm termini specifica, distinctio verò à distinctione specifica alterutrius s. fundamenti vel termini desumitur. Vnitas verò & distinctio numerica sumitur ex vnitate vel distinctione numerica subiecti; hinc multiplicatis terminis relationis eiusdem speciei, non multiplicantur in eodem subiecto relationes, sed quasi extenduntur: tandem ex Proprietatibus Relatiuorum istis: habere contrarium, non suscipere magis & minus, dici ad conuertentiam, & esse simul natura ac cognitione, posteriores duæ, sunt quarto modo propriæ.

XI.

VLtima sex Prædicamenta sunt quid simpliciter absolutum, connotant tamen aliquid extrinsecum, nec sunt quid aggregatum ex absoluto & respectiuo, sed tantum sunt Relationes secundum Dici. Oppositionis diuisio in Relatiuam contrariam, priuatiuam, & contradictoriam est recta, illaq; analoga, inter has contradictoria est maxima. 5. Modi Prioris, tres modi simultatis, 6. quasi species motus late sumpti, & 7. modi habendi rectè sunt à Philosopho assignati.

XII.

ORatio vt totum essentiale in vocem & significationem, vt totum causale in Perfectam & imperfectam, vt totum Vniuersale in Enunciatiuam & non Enunciatiuam, tandem vt totum integrale in nomen & verbum rectè diuiditur., Propositio, quæ est simplex qualitas, describitur, quod sit oratio verum vel falsum significans, cuius proprietates sunt tres: oppositio, æquipollentia & conuersio. Ex propositionibus singularibus contradictorijs de futuro contingenti, neutra contradictoria est determinatè vera aut falsa ante determinationem causæ præsertim primæ, deniq; veritas formalis tantum in secunda mentis operatione s. Compositione & Diuisione propriè reperitur.

XIII.

LIcet ad discursûs essentiam, necessaria sit pluralitas cognitionum, non tamen obiectorum, ad quod & Iudicium illatiuum requiritur, in quo formaliter consistit. Sumptus discursus formaliter, rectè diuiditur in consequentiam strictè sumptam & argumentationem, hæc verò in syllogismum, Inductionem, Enthymema & Exemplum, quæ diuisio est analoga. Syllogismi ab Aristotele definiti, principia constitutiua & dirigentia rectè sunt assignata, tum tres figuræ, & 19. modi rationabiliter inuenti. Omnis doctrina & disciplina, puta discursiua, fit ex præexistenti cognitione. Duæ præcognitiones istæ; an est, & Quid est, ad omnem Demonstrationem requisitæ, tum tria præcognita hæc: Principium, Subiectum, & passio; ac conditiones demonstrationis istæ, Dici de omni, per se, & Quatenus ipsum, rectè assignantur ab Aristotele: Medium potissimæ demonstrationis est definitio subiecti. Diuisio Demonstrationis in propter Quid & Quia, est adæquata, quæ si spectetur ex parte certitudinis quam generat, est vniuoca, si verò ex parte obiecti perfectè scientifici, est analoga. Porro assensus præmissarum, est causa efficiens instrumentalis assensus conclusionis.

XIV.

SCientia quæ est simplex, Qualitas, ab Aristotele rectè definitur, quod sit habitus certus & euidens per demonstrationem acquisitus, & hæc definitio debet intelligi de scientia naturali, quæ ratione dependentiæ diuiditur in subalternantem & subalternatam, harum & obiecta & principia sunt distincta, ac subalternata sine subalternante acquisita, potest dici scientia licet imperfectè, quæ si addit supra obiectum subalternantis differentiam accidentalem non qualemcunq;, sed talem ex cuius additione constituatur Ens scibile, dicetur verè subalternata. Porro vnitas & distinctio scientiarum Generica, sumitur ex abstractione eadem vel diuersa, specifica verò ab vnitate vel distinctione principiorum intra eandem abstractionem contentorum. Scientia vt sic distinguitur ab opini-

 one,

one, fide, solertia, imo & ab Intelligentia, Prudentia & Arte, non tamen à sapientia ex æquo, hæc licet iudicet non solum de Conclusionibus, sed etiam de principijs, non est tamen perfectior Habitus quàm Intelligentia, Habitus primorum principiorum qui dicitur Intelligentia, partim est à natura, partim ab exteriori principio, estq; realiter distinctus à speciebus intelligibilibus. In eodem Intellectu, nec quo ad actus, nec quo ad habitus, nec quo ad vtrumq; mixtim, potest esse simul scientia cum opinione de eodem obiecto, multominus cum errore, imo nec cum fide, si sit scientia naturalis.

XV.

DE Syllogismo Topico, qui est Ratiocinatio ex probabilibus sumptionibus probabilem inferens Conclusionem, & ratione ordinis congruam, & ratione Doctrinæ sufficientem Aristoteles reliquit scientiam. In Locis, differentia maximarum est quadruplex, ipsa verò maxima est multiplex. Porrò Quæstio Dialectica, Disputatio demonstratiua, problema, propositio, principium & Conclusio materialiter idem sunt, & rationibus formalibus tantum differunt, problema Dialecticum pro quadruplici Prædicatorum numero, etiam est quadruplex. Præter Syllogismum Demonstratiuum, & Probabilem, dari Sophisticum constat, qui cum habeat sumptiones, quæ videntur esse probabiles, non tamen sunt, ideo causat deceptionem, & de hoc in duobus Libris Elenchorum Sophisticorum sufficienter tractat Aristoteles, non quidem assertiuè, sed discretiuè.

CONCLVSIONES EX PHILOSOPHIA NATVRALI.

I.

PHysica est verè & propriè scientia, illaq; speculatiua, impropriè subalternata Metaphysicæ, & quo ad omnes suas partes vna secundum speciem atomam, cuius obiectum formale & adæquatum est Ens mobile radicaliter sumptum. Principia rerum naturalium in fieri sunt tria, materia, forma & priuatio, ex quibus forma & priuatio sunt contraria, contrarietate primâ; in facto autem esse sunt duo, s. Materia & forma, quibus ratio principij analogicè competit.

II.

MAteria prima, ita est pura potentia, vt secundùm se nullum includat actum etiam Entitatiuum, imo nec existentiam, vnde existit tantùm per existentiam formæ & compositi Substantialis, sine qua nec per absolutam Dei potentiam potest existere, nec habet vnitatem specificam vel numericam positiuam, sed tantum negatiuam, quæ licet sit radix corruptionis, ipsa tamen est ingenerabilis & incorruptibilis, habet tamen appetitum ad omnes formas substantiales. Priuatio, quæ dicitur carentia formæ in subiecto apto, realiter negatiuè distincta à materia, est per se principium rerum naturalium in fieri, & licet sit à parte rei, in recto tamen dicit Ens rationis, estq; carentia formæ specificæ & Indiuiduatæ.

III.

FOrma Substantialis Physica, est actus primus Corporis Physici seu materiæ primæ; licet verò omnes formæ Substantiales materiales in generatione Substantiali educantur de potentia materiæ, exceptis formis cælorum, quæ in prima sui productione sunt concreatæ ad creationem totius; tamen formæ spirituales, vt sunt animæ rationales à solo Deo creantur, formæ verò accidentales, quæ non habent necessariam connexionem cum subiecto, omnes educuntur, de potentia illius, quæ verò habent, nullæ educuntur, sed vel coëducuntur, si forma substantialis ex qua oriuntur, fiat per eductionem, vel concreantur, si forma Substantialis fiat per creationem, sicut autem plures formæ Substantiales non possunt simul informare vnam numero materiam etiam de absoluta potentia, ita nec vna forma plures materias.

IV. Com-

IV.

COmpositum Physicum essentialiter & intrinsecè constituitur ex materia & forma, idq; immediatè & sine vllo nexu ab illis distincto, quod, vt & aliud quoduis Totum à suis partibus simul sumptis & vnitis non distinguitur realiter, sed tantùm ratione ratiocinatâ.

V.

NAtura, quæ est principium & causa motûs & quietis eius, in quo est, primo & per se, & non secundum accidens; rectè diuiditur in materiam & formam; nomen naturæ conuenit materiæ & formæ vniuocè. Porro natura realiter distinguitur ab arte, hæc verò virtute propriâ & immediatè nullo modo potest efficere opera & effectus naturæ, sed solùm mediatè, ie applicando actiua passiuis, quod est fieri tantùm secundum quid, & aliqualiter. Vnde si in operationibus miros effectus producentibus, adhibeantur ceremoniæ progressionis, stationis, manuum eleuationis, respectionis membrorum ad certam partem, characteres peregrini & alia signa, nullam connexionem moralem vel Physicam cum effectibus habentia, fiunt à Magia diabolica.

VI.

CAusa, quæ definitur esse id, ad cuius esse sequitur aliud, est quadruplex, Materialis, Formalis, Efficiens, & Finalis, & de omnibus vniuocè dicitur; sicut autem omnis causa est prior suo effectu prioritate naturæ, ita & perfectior illo, omnis verò causa realis distinguitur à suo effectu realiter. A duabus verò causis Totalibus eiusdem generis & ordinis, non modo simul, sed nec diuisim sumptis, vnus idemq; numero effectus, etiam supernaturaliter fieri non potest.

VII.

CAusalitas materiæ in actu primo, est propria & nuda eius Entitas, in actu verò secundo, est vnio ipsius cum forma seu sustentatio formæ. Similiter Causalitas formæ in actu primo, est propria & nuda eius Entitas, in actu verò secundo, est vnio ipsius cum materia seu informatio materiæ. Idea propriè spectat ad Causam formalem extrinsecam, licet impropriè possit spectare ad efficientem & finalem.

VIII.

CAusa efficiens est id, vnde primò incipit motus, cuius principium Radicale agendi, est ipsa forma Substantialis, proximum verò & immediatum, sunt accidentia; eius Causalitas est actio exercita. Causæ secundæ in agendo, dependent à concursu Causæ primæ, non tantùm simultaneo, sed & præuio. Porrò de ratione Instrumenti est, agere vt motum à Causa principali, habeat tamen virtutem sibi propriam & actionem præuiam, quâ reddatur Capax ad producendum effectum Causæ principalis.

IX.

FInis est vera Causa realis, cuius ratio formalis constitutiua in actu primo, est sola bonitas secundum esse reale, secundum quod mouet appetitum, non verò secundum esse apprehensum, licet apprehensio sit conditio sine qua non. Causa itas finis, est motio exercita voluntatis Metaphorica. Natura in suis operationibus semper agit propter aliquem finem, quæ sumpta pro Causis secundis, tantùm per se secundo intendit monstra: Fortuna & Casus dantur, solùm in rebus creatis. Porro Contingentiæ & necessitatis in rebus naturalibus, in genere Causæ efficientis est summa Dei efficacia, proxima verò & formalis ratio, contingentiæ quidem, est defectibilitas Causæ secundæ & impedibilitas per concursum alterius Causæ; necessitatis autem est Indefectibilitas & inimpedibilitas eiusdem Causæ secundæ proximæ.

X.

MOtûs definitio hæc: est actus Entis in potentia, prout in potentia: competit etiam mutationibus instantaneis, idq, tantùm illis, quæ sunt actus imperfecti, qui à suo termino ad Quem, tum ab Actione & Passione distinguitur vt res à modo, comparatus ad Actionem & Passionem Physicè consideratas, habet se, vt superius essentiale analogum, non verò, vt subiectum, Metaphysicè verò, habet se vt modus contingenter eis conueniens; omnis autem motus etiam localis subiectatur in mobili. Porro subiectum actionis transeuntis originatiuè

seu Causaliter est agens, formaliter verò seu Relatiuè est passum. Propriè dictus motus, seu successiuus per se terminatur ad Quantitatem, Qualitatem & vbi, cuius vnitas Generica desumitur ex vnitate Prædicamenti, ad quod terminatur, specifica verò non tantùm à termino ad Quem, sed etiam à medio formaliter sumptis. Numerica tandem sumitur ex vnitate mobilis, termini ad Quem, & temporis. Contrarietas motuum per se primò & formaliter, prouenit tantùm ex contrarietate termini ad Quem; licet verò idem mobile possit moueri simul duobus motibus contrarijs secundùm diuersas partes, vel si vno per se, altero moueatur per accidens, naturaliter tamen non potest moueri per se simul secundùm eandem partem.

XI.

COntinuum non ex solis componitur indiuisibilibus, sed etiam ex partibus continuis copulatis per indiuisibilia, vnde in continuo verè dantur actu indiuisibilia tam continuatiua quàm terminatiua, modaliter distincta a partibus illius. Infinitum actu, etiam supernaturaliter dari non potest, tam secundùm substantiam, quàm secundùm Quantitatem aut Qualitatem, ac ideo quælibet res habet suæ magnitudinis & paruitatis terminum.

XII.

RAtio formalis Loci est immobilitas, quæ spectatur in superficie formaliter sumpta, ex determinata distantia ad puncta fixa, qualia sunt poli & centrum mundi; hinc omnibus & solis Corporibus conuenit esse per se in loco circumscriptiuè, excepto supremo cœlo, quod secundum partes, idq; tantum in potentia, est in loco. Licet verò duo Corpora in eodem loco, possint esse simul supernaturaliter, vnum tamen Corpus inpluribus locis circumscriptiuè etiam per absolutam Dei potentiam esse non potest. Vacuum Physicum naturaliter dari non potest, bene tamen supernaturaliter, quo dato, Corpus in eo moueretur successiuè, non verò in instanti.

XIII.

TEmpus est verum Ens reale, distinctum realiter à motu, estq; vnum vniuersale & extrinsecum, plura tamen sunt particularia & intrinseca, cuius existentia solum reperitur in instanti, non verò in aliqua parte, & hoc Substantiæ corruptibiles mensurantur non solùm quo ad operationes, sed & quoad suum esse.

XIV.

OMne quod mouetur, necessariò debet habere Causam efficientem sui motûs realiter à se distinctam, illamq; approximatam siue indistantem, vnde cum in mouentibus per se subordinatis, non possit esse processus in infinitum, ideo ex motu rectè colligitur vnicus esse Motor omninò immobilis.

EX LIBRIS de CÆLO & MVNDO

I.

LIcet Mundus sit in temporis principio creatus, potuit tamen, tam quoad Entia permanentia, quàm quoad successiua, per se loquendo, ab æterno creari; nam per accidens quibusdam successiuis, vtpotè generationi humanæ repugnat æternitas: tametsi verò nullâ ratione Physicâ demonstrari possit, non esse plures mundos, valde tamen conforme est fidei, asserere de facto tantùm vnum esse mundum, attamen possunt dari plures, esto verò sit perfectus, possunt tamen dari perfectiores saltem accidentaliter, potestq; esse æternus à parte post, licet defacto non durabit, nisi quoad principaliores sui partes, s. Cælos & Elementa, idq; sub statu perfectiori.

II.

CÆlum constat materiâ & formâ, cuius materia est diuersæ rationis à materia sublunarium, informatur nullâ animâ propriè loquendo. Et quia est diuersæ naturæ ab Elementis & mixtis, hinc est, quòd non habeat 4. contrarias qualitates, nec est ab intrinseco corruptibile, insunt tamen Cælis accidentia sublunaribus communia eiusdem speciei, qualia sunt Quantitas, densitas raritas,

lux,

lux, motus & figura. Maculæ quæ in Luna apparent, sunt partes rariores corporis Lunaris permittentes solis radios vlterius transire.

III.

CÆli mobiles sunt decem, vndecimum autem immobile dictum Empyreum, omnes inter se contigui, Sphæricæ figuræ & diuersæ speciei ac nobilitatis. Porrò astra & Planetæ distinguuntur tam inter se, quàm à Cælis, quibus sunt contigui, omnesq; ex natura sua habent aliquid lucis, maiorem tamen à Sole mutuantur. Causa scintillationis in Stellis fixis refunditur in debilitatem visus nostri & nimiam distantiam. Omnes Cæli excepto Empyreo, mouentur immedietatè ab Intelligentijs, quorum motus circularis, est solùm naturalis passiuè, non verò actiuè, nisi fortè secundùm quid: est præterea regularis ac ordinatus, & cuilibet Cælo tantùm vnus naturalis, ille s. quem habet à propria Intelligentia; Omnes autem Cæli mouentur pluribus motibus, & quidem contrarijs, excepto primo mobili. Licet autem Cæli & Stellæ influant in hæc inferiora, per se tamen & directè tantùm influunt in Corpora, in vires autem animæ, quæ sunt actus organorum, nonnisi indirectè & per accidens, in potentias autem animæ Rationalis magis adhuc indirectè ac remotè. Porro cessante Cælorum motu, licet non cessent in istis inferioribus actiones intentionales, vt est illuminatio & immutatio medij, cessabit tamen in eis omnis motus, & actiones materiales; hinc futuri euentus, qui ex solo motu & ordine Cælorum dependent, possunt prædici certò, qui verò ab influxu Cælorum & Elementorum habent dependentiam, tantùm coniecturaliter, qui deniq; à voluntate humana pendent, neutro modo præuideri possunt, maximè in particulari.

EX LIBRIS de GENERATIONE & CORRUPTIONE.

I.

GEnerationis substantialis (quæ est mutatio naturalis) subiectum, est sola materia prima nudè sumpta, Terminus verò illius Primarius *Quo*, & quidem partialis est forma substantialis, totalis autem & primarius in intentione, est natura totalis, terminus verò primarius *Qui*, est suppositum, secundarius autem sunt proprietates. Corruptio Substantialis, licet sit mutatio naturalis respectu materiæ primæ, quæ secundariò inclinatur in illam; non tamen est per se intenta à natura particulari, sed tantùm ab Vniuersali, idq; per se secundo: cùm dicitur: generatio vnius est corruptio alterius, intelligi debet tantùm concomitanter, non verò identicè, multò minùs formaliter. Accidentia porrò non remanent eadem in genito, quæ erant in corrupto, quod est dicere, in corruptione substantiali, fieri resolutionem vsq; ad materiam primam.

II.

ALteratio, quæ est motus continuus, adæquatè diuiditur in Alterationem specialiter dictam, Intensionem, & Remissionem, tanquàm in tres species, motusq; intensionis ac remissionis ad solam Qualitatem terminari potest, idq; ad tertiam eius speciem. In qua intensio fit tantùm per maiorem radicationem in subiecto. Porrò Nutritio & augmentatio actiuæ, non sunt duæ actiones realiter distinctæ, est solùm virtualiter, passiuæ autem, sunt duæ mutationes realiter distinctæ, ambæq; successiuæ. Augmentatio fit secundum omnes partes rei, quæ augetur, viuensq; toto augmenti, imò vitæ tempore manet idem numero.

III.

AD hoc vt agens agat, debet esse maior illius actiuitas, quàm resistentia passi, omneq; agens communicans in materia transmutabili cum passo, repatitur à suo passo. Mixtio, quæ est miscibilium alteratorum vnio, reperitur non solùm inter Elementa, sed etiam inter liquores habentes contrarias qualitates, siue illi sint diuersæ speciei, siue eiusdem. Causa efficiens principalis mixtionis

in non viuentibus, sunt Cæli & astra, in viuentibus autem sunt Intelligentiæ motrices Cælorum, & maximè DEVS. Elementa porrò non manent in mistis formaliter, sed virtualiter, ratione primarum Qualitatum ad mediocritatem redactarum.

IV.

CVilibet Elemento conueniunt duæ primæ Qualitates, ita vt ignis sit in summo calidus & siccus, Aër in proportionata temperie, est calidus & humidus, Aqua est in summo humida, & citra summum frigida, Terra deniq; est summè frigida, & citra summum sicca, quarum qualitatum in Elemento, minus intensa, non habet permixtionem suæ contrariæ qualitatis, Symbolæq; qualitates, in quibuscunq; sunt Corporibus, sunt eiusdem speciei. Porrò quodlibet Elementum, potest ex quolibet alio generari, & quidem Elementa Symbola, faciliùs quàm dissymbola transmutantur, licet per accidens possit oppositum contingere. Quamuis autem ex duobus Elementis dissymbolis, possit generari tertium Elementum specie distinctum, non tamen ex Symbolis. In nullo mixto, potest dari temperamentum vniforme, seu æquale ad pondus. Res semel corrupta si sit permanens, non potest naturaliter, si verò sit successiua, nec supernaturaliter potest reproduci eadem numero.

EX LIBRIS de ANIMA.

I.

ANimæ diuisio in Vegetatiuam, Sensitiuam & Intellectiuam est recta, & suo modo vniuoca, ex quibus Vegetatiua in Sensitiua, & vtraq; in Intellectiua continetur formaliter. Animæ animalium imperfectorum, imò & plantarum licet sint diuisibiles, non tamen anima rationalis, & animæ animalium perfectorum. Potentiæ, (quæ realiter distinguuntur ab anima, ita vt nec per absolutam Dei potentiam anima possit sine illis, immediatè operari) immediatè specificantur ab actibus, mediatè verò ab obiectis formaliter sumptis, quarum potentiarum, licet non organicæ subiectentur immedietatè in ipsa anima, organicæ tamen subiectantur in toto composito. Licet autem 5. sint genera potentiarum vitalium siue animæ, vt anima est, s. vegetatiuum, sensitiuum, appetitiuum, loco motiuum & Intellectiuum, gradus tamen viuentium seu modi viuendi, sunt tantum 4. hi, vegetatiuum, sensitiuum, loco motiuum & Intellectiuum.

II.

POtentiæ animæ Vegetatiuæ essentialiter ac realiter inter se, & à calore naturali distinctæ, sunt tres: Nutritiua, Augmentatiua, & Generatiua, ex quibus priores duæ, sunt propriæ quarto modo proprij, generatio verò propriè sumpta non. Sensus, (qui est potentia merè passiua respectiuè ad obiectum, actiua autem respectiuè ad sensationem) obiectum, seu sensibile externum, est triplex: Proprium commune, & per accidens, tam verò proprium, quàm Commune est 5tuplex; hinc & sensus externi sunt 5. 1. Visus, cuius Obiectum formale est visile seu coloratum, vt illuminatum, Subiectum seu organum, est humor Crystallinus simul cum neruis opticis; Medium est Corpus diaphanum, vt aër, aqua, Crystallus. Porrò visio fit per intus susceptionem seu receptionem speciei ab obiecto, non verò per emissionem radiorum visualium. 2. Auditus, cuius Obiectum est sonus, Organum est aër innatus cum neruis auditorijs à cerebro ad aures descendentibus, Medium soni, secundum suum esse reale, est solus aër, iam autem secundum esse intentionale, est etiam aqua, & plura Corpora fluida. 3. Olfactus, cuius Obiectum est odor, Organum sunt duæ caruncula seu processus mamillares, vniti neruis, quibus continuantur, Medium odoris est aër & aqua. 4. Gustus, cuius Obiectum est sapor, Organum est neruus mollis, per totam linguam sparsus, maximè in cuspide linguæ residens, Medium est Caro, neruo sapores sentienti supposita. 5. Tactus, cuius obiectum, sunt qualitates tangibiles tam

primæ

primæ quam ſecundæ, quas tantum ſecundùm excellentias percipit. Organum tactûs, eſt ſolus neruus ſparſus per totum animalis Corpus, qui à medicis Tactinus dicitur, Medium eſt Caro.

III.

SEnſus interni ſunt 4. ab Externis & ab inuicem realiter diſtincti, quorum 1. eſt Senſus communis, cuius munus eſt, cognoſcere omnia ſenſibilia externa à ſenſibus externis percepta, ac inter illa diſcernere, ſenſuumq; externorum ſenſatiores percipere. Obiectum formale & adæquatum illius, eſt Senſibile abſtrahens à ſenſibilibus communibus, & à ſenſationibus ſenſuum exteriorum. Organum, eſt prima, in anteriori Capitis parte, cerebri cellula, in qua radicantur omnes nerui ſenſibus externis in organa deputati. 2. Phantâſia in hominibus ſpecialiter dicitur Imaginatiua, quæ apprehendit res ſenſatas, à Senſu communi perceptas, & eas in abſentia conſeruat, reſidetq; in ſecunda cerebri cauitate. 3. Æſtimatiua, in hominibus dicitur Cogitatiua, quæ percipit rationes non ſenſatas præſentes. v. g. amicitiæ, vel inimicitiæ; & hæc reſidet in tertia cauitate cerebri. 4. Memoria, quæ in hominibus ſpecialiter dicitur Reminiſcentia, cuius munus eſt, rationes non ſenſatas ſingulorum ſenſibilium, perceptas ab Æſtimatiua, retinere in eorundem abſentia, & hæc reſidet in poſteriori parte capitis. Affectiones porrò ſenſuum ſunt duæ: Somnus, qui eſt ligatio ſenſuum externorum, ad quietem & ſalutem animalium inſtituta: & Vigilia, quæ eſt omnium ſenſuum externorum aut ſaltem aliquorum, ſolutio & libertas. Somnia autem ſunt apparitiones quædam exhibitæ per ſenſus internos, in illis, qui ſomno conſopiti ſunt, exquibus pauca futura, illaq; tantum naturalia ſciri poſſunt, nam futura contingentia libera, à ſolo Deo cognoſcuntur, nec vlli per ſomnium innoteſcunt, niſi ipſi fuerint à Deo patefacta.

IV.

ANima Rationalis, eſt purè Spiritualis & incorporea, conſequenter ab intrinſeco incorruptibilis ac immortalis; vna eſt perfectior altera, etiam in perfectione ſubſtantiali Indiuiduali. Præter Intellectum poſſibilem, neceſſariò datur in anima rationali Intellectus Agens, realiter ab illo diſtinctus, cuius principale munus, eſt illuminare plantaſmata. Obiectum Intellectus poſſibilis, adæquatum, illudq; Extenſiuum ſeu terminatiuum, eſt Ens ſeu verum in tota ſua latitudine; Intenſiuum autem ſeu motiuum, alias proportionatum & ſpecificatiuum Intellectus noſtri, pro hoc ſtatu, eſt ſola Quidditas materialis, abſtracta à conditionibus Indiuiduantibus; vnde ſingulare pro hoc ſtatu tantùm reflexè repræſentatur per ſpeciem intelligibilem; Memoria porrò Intellectiua, quæ eſt potentia ſpiritualis, non diſtinguitur ab Intellectu poſſibili, ſicut nec ſynderesis, conſcientia, Ratio ſuperior & Inferior. Cum verò tam ſenſus Interni, quàm Intellectus, indigeant ſpeciebus impreſſis, ad eliciendas ſuas cognitiones, igitur ſpecies impreſſæ tam Intentionales, quàm Intelligibiles repræſentant formaliter ſua Obiecta, vnde ſpecies impreſſa, ita eſt formalis ſimilitudo Obiecti, vt ſit ipſummet Obiectum, non quidem in modo naturali eſſendi, ſed in eſſe intentionali; potentiaq; cognoſcitiua vnitur per identitatẽ cum ſpecie, cõſiderata in eſſe repræſentatiuo, conſequenter & cum Obiecto repræſentante. Porrò Intellectio creata, ſpectata quoad ſubordinationem cum effectu, eſt actio de Prædicamento Qualitatis, ſi verò ſpectetur eminenter & virtualiter, ie quantùm ad emiſſionem & originationem effectûs, eſt de Prædicamento Actionis, quæ Intellectio realiter diſtinguitur à ſpecie expreſſa ſeu verbo mentis; Dictio verò ſeu productio verbi, eſt ipſa intellectio cum quadam formalitate modali. Per quamlibet verò intellectionem creatam producitur verbum, exceptâ viſione beatificâ, & intellectio pro hoc ſtatu naturaliter pendet ab operatione phantaſiæ, quod etiam reperietur in damnatis poſt reſurrectionem, non verò in Beatis.

V.

PRæter appetitum Innatum, datur appetitus Elicitus, qui eſt potentia paſſiua vitalis, apta nata moueri ab Obiecto apprehenſo cognito, & hic alius eſt Animalis

malis seu sensitiuus, alius Rationalis, qui dicitur Voluntas. Sensitiuus subdiuiditur in Concupiscibilem & Irascibilem. Porrò Voluntas secundùm se & simpliciter, est imperfectior Intellectu, & libera in suis actionibus, neq; vult necessariò, quæcunq; vult, sed tantùm Beatitudinem, seu bonum in communi, idq; necessitate specificationis, alia verò particularia liberè appetit, mouetq; alias animæ potentias per modum agentis, applicando eas ad exercitia. Potentia Obedientialis in rebus creatis, passiua respectu actuum & effectuum supernaturalium, de facto datur, quæ est ipsa Entitas creaturæ subiecta Deo, estq; eiusdem speciei infimæ in omnibus & ad omnia.

CONCLVSIONES EX METAPHYSICA.

I.

METaphysica est verè Sapientia, & gubernatrix aliarum scientiarum, cuius Obiectum formale & adæquatum, est Ens quatenus Ens, vt substat abstractioni ab omni materia. Et quoniam Ens nominaliter sumptum, est transcendens respectu suorum inferiorum, ideo est Analogum ad illa, vtraq; analogiâ, nec habet Conceptum aliquem perfectum & distinctum, sed solum imperfectum & confusum, ac secundùm quid præcisum à suis inferioribus.

II.

ENs habet veras & Reales, illasq; Metaphysicas proprietates, quæ ab illo solum virtualiter distinguuntur, suntq; tantùm tres, Vnum, Verum & Bonum, quæ pro materiali dicunt ipsum Ens, pro formali verò aliquid reale in Ente, s. modum, qui non exprimitur nomine Entis, de illis tamen Ens Quidditatiuè prædicatur. Hinc Vnum, licet pro formali dicat aliquid positiuum, Enti tamen addit, solam diuisionis negationem. Ens porrò diuiditur in Vnum & Multa, ex quibus vnum est simpliciter Ens, multa verò Ens secundùm quid, vnum autem & multa opponuntur per modum priuationis. Forma Substantialis incompleta, etiam & anima rationalis indiuiduatur à materia, hæc verò per ordinem ad quantitatem indiuiduatur; iam autem substantiæ materiales completæ seu composita materialia Indiuiduantur a materia signata quantitate. Tandem formæ Spirituales completæ vt sunt Intelligentiæ, per suas differentias specificas immediatè indiuiduantur. Licet porrò accidentia à proprijs subiectis extrinsecè, ab ordine verò, quem ad ipsa dicunt, indiuiduantur intrinsecè; Quantitas tamen hoc habet peculiare, quòd secundùm aliquam rationem à seipsa indiuiduetur, tametsi secundùm alias rationes indiuiduetur à suo subiecto. Impossibile verò est, etiam de absoluta Dei potentia, duo accidentia solo numero distincta, esse simul in eodem subiecto.

III.

VEritas, principaliùs denotans Entitatem, quàm relationem ad intellectum, Transcendentalis, consistit in aliquo positiuo seu conformatione, primario ad Intellectum Diuinum, secundariò autem ad creatum; Formalis autem consistit in conformitate & adæquatione Conceptûs Formalis ad Conceptum Obiectiuum, seu Intellectûs, ad rem cognitam, quæ conformitas, est ordo Transcendentalis. Quod pertinet ad Bonum, huius Ratio consistit in Ente, quatenus habet conuenientiam quandam primariò cum voluntate Diuina, secundariò autem cum voluntate creata.

IV.

ESsentiæ omnium rerum, habent Causam sui effecticem Deum, nec sunt aliquid reale, actuale & positiuum ab æterno extra illum. Porro Essentia rerum, quæ

quæ à Deo immediatè creatæ sunt, comproducitur ad creationem totius, quæ verò producuntur à Causis secundis, comproducitur ab ijsdem Causis secundis etiam principaliter. Suppositum seù subsistens in creatis, realiter distinguitur à natura, aliquid positiuum realiter ab ipsa distinctum superaddens. Existentia substantiæ est solùm accidens prædicabile, cuius Causa principalis & proxima, est solus DEVS, creaturæ verò vt Causæ instrumentales. Existentiæ effectus est, rem vltimò substantialiter complere, existentia in omnibus rebus creatis, realiter distinguitur ab Essentia & Subsistentia. Accidentia habent propriam existentiam accidentalem, distinctam ab existentia substantiæ, tanquam rem à re, quæ est inhærentia aptitudinalis. Natura seu Essentia prius recipit Subsistentiam, quàm Existentiam, hæc verò recipitur in supposito vt in subiecto *Quod*, in Essentia verò, & in partibus eam constituentibus, sicut & in Subsistentia tanquàm in subiecto Quo. Porrò Subsistentia & Existentia, licet naturaliter non possint esse in rerum natura separatæ ab Essentia, supernaturaliter tamen possunt, per ordinem tamen & dependentiam ab Essentia, sine qua non possunt produci.

Soli Deo Honor & Gloria.



SUB FELICISSIMIS AUSPICIIS,

Magnifici, Perillustris, & Reuerendissimi Domini,

D. M. MARTINI WINKLER,

S. Th. DOCTORIS, & PROFESSORIS, Ecclesiarum Cathedralis, Crac: CANONICI, Collegiatarum, Sendomiriensis, PRÆPOSITI, Scholastici Kielcensis, Curati Premycouiensis, Contubernij Hierosolymitani Prouisoris S. R. M. SECRETARII, Studij Vniuersitatis Cracoviensis, Generalis & Vigilantissimi,

RECTORIS.

